

Materialia ad reformationem circariae Hungariae ineunte saeculo XVI

Ea, quae ex actis et decretis capitulorum generalium de reformatione circariae Hungariae novimus, augeri possunt ope illorum fontium, qui in copia anni 1746 in codice manuscripto sign. E 57 A.H.5 archivi publici status in civitate Brunnensi (Brno in Tchechoslovakia) inveniuntur. Cf. Valvekens, Acta et decreta capitulorum generalium ord. Praem., tom. II, pag. 91, 138-140 et 214-218.

I

1510 maii 10. Saint Quentin.

Ins. in litteris Thomae archiepiscopi Strigoniensis de dato 1514 aug. 25. Budae datis, quae in aliis litteris eiusdem Thomae de eodem die et loco insertae sunt. Copia vidimata de dato 31. maii 1746 in archivio publico status Brno, ms. sign. E 57 A.H.5, fol.1^v-4^r.

Ioannes permissione divina abbas Praemonstratensis et abbatum eiusdem ordinis capitulum generale venerabilibus dilectisque nobis^{a)} in Christo confratribus totius circariae Hungariae nostri ordinis Praemonstratensis abbatibus salutem in domino sempiternam et in commissis studiosam adhibere diligentiam. Cum totis ex viribus^{b)} et affectibus desideremus de statu, conservatione et religionis zelo subditorum nostrorum effici certiores sitque necessarium nobiscum tales personas in partem nostrae sollicitudinis praecipue in partibus longinquis assumere, qui ex earum industria vices nostras sciunt leviare possint et quia de personis fide dignioribus in partibus nostris non valemus debite informari vobis omnibus et singulis in virtute salutaris obedientiae firmiter et districtae praecipientes mandamus quatenus omnes in quodam loco congruenti et honesto conveniatis et vestrum^{c)} de vestris quem idoneiorem et ad exercendum inferius contenta sciveritis, eligatis. Quem electum nisi dignitate praefulgeat abbatiali in abbatem erigimus et

^{a)} «vobis» cop.

^{b)} «iuribus» cop.

^{c)} Forsan erronee pro «unum».

praeficimus volentes ipsum uti et gaudere tali privilegio sicut et ceteri abbates confratres nostri ordinis dando ei licentiam et facultatem a quocumque domino antistite catholico rite promoti ab executione suorum ordinum non suspenso neque interdicto munus sacrae benedictionis suscipiendi et eidem domino antistiti potestatem conferendi. Cui venerabili confratri abbati iam electo, confirmato et benedicto in praedictis virtute salutaris obedientiae firmiter et districte mandamus quatenus sollicite, diligenter et attente visitet omnia et singula monasteria, personas et loca nostri antedicti ordinis in dicta circaria Hungariae constitutas et constituta, personas et loca eorundem tam in spiritualibus quam in temporalibus et in capite quam in membris deum solum habendo prae oculis sollicite et tam attente co[r]rigendo et reformando in eisdem quae secundum deum, privilegia, constitutiones et statuta nostri praedicti ordinis noviter modificata co[r]rigenda repererit seu etiam reformanda potissime faciat a singulis saepedicti nostri ordinis subditis tria religionis essentialia vota firmiter et inviolabiliter observari et habitum decentem cum rasura debita deferri ac tam habituum, velorum et cantus quam aliarum curiositatum deformitates evitari, confessiones audiendi omnium personarum nostri ordinis in dicta circaria et partibus eiusdem constitutarum et easdem tam a sententia excom[m]unicationis et iuris in casibus nobis permissis quam a suis peccatis humiliter et devote confessis absolvendi et eisdem poenitentias salutare iniungendi necnon cum subditis nostri ordinis super voce, stallo et obedientia nominata ac apostasia ad intercessionem suorum praelatorum et aliorum proborum virorum et alias secundum exigentiam demeritorum suorum ac super irregularitate si quam contraxerint, quod absit, dispensandi et ad omnes honores pristinos et actus legitimos restituendi, apostatas et fugitivos nostri ordinis ubilibet capiendi seu capi et ar[r]estari faciendi, electiones quoque praelatorum ac etiam electos et postulatos diligenter examinandi, eos vel eas confirmandi vel infirmandi iure tamen nostro et cuiuslibet alieno salvis ipsosque praelatos electos et confirmatos cuicumque episcopo aut alteri potestatem habenti ad munus benedictionis suscipiendum praesentandi et si fratres aut canonici ecclesiarum seu monasteriorum de pastore eligendo fuerint discordes et de facili ad concordiam reduci non possint si personas minus idoneas et insufficientes elegerint vel vitium seu vitia in electionibus, cessionibus vel postulationibus intervenerit seu intervenerint, propter quod ius provisionis illarum ad vos sit devolutum, eisdem ecclesiis sic vacantibus providendi, convocationes etiam praelatorum et conventuum earundem ecclesiarum ad certos locum et diem per

vos nominandos et ibidem tractandi, definiendi et ordinandi ea, quae ad salutem et utilitatem monasteriorum et personarum ipsius circariae oportuna et necessaria fuerint, de communi tamen praelatorum consilio et assensu. Praelatos vero si quem aut quos inobedientes, inutiles aut saepedicti nostri ordinis praevaricatores seu visitationem ipsius visitatoris a nobis electi recusantes quomodolibet per se vel alium seu alios impediētes inveneritis, deponentes et amovētes iuris ordine servato et ipsis ecclesiis seu monasteriis de novis praelatis providentes, appellationes vero tam praelatorum quam subditorum nostri^{d)} ordinis ad nos interiectas recipiendi, cognoscendi et definiendi, visitationes faciendi et exercendi ac expensas moderatas secundum facultates ecclesiarum per vos iuxta nostri ordinis statuta et laudabiles consuetudines in dicto nostro ordine hactenus observatas a praelatis earundem petendi et recipiendi et de receptis quietantias dandi et de huiusmodi praelatos ad id etiam per censuras ecclesiasticas et poenas ordinis repellendi, contractus vero licitos nostrum ordinem concernentes confirmandi et approbandi, illicitos vero et in praeiudicium nostri ordinis initos inficiendi, infirmandi, annullandi et rescindendi supradictosque apostatas et fugitivos incarcerandi necnon absolvendi etiam ad ecclesiam Praemonstratensem aut alias nostri ordinis ecclesias in dicta circaria^{e)} et eius partibus constitutas emittendi et alias disponendi prout ipsi visitatori videbitur opportunum, monasteria ordinis nostri ab ordine nostro alienata recuperandi et ad ipsum ordinem reponendi, tallias insuper ordini nostro debitas annuatim non solutas in huiusmodi circaria^{f)} exigendi, petendi et recipiendi ac de receptis quietantiam unam vel plures dandi, contra huiusmodi tallias solvere recusantes excommunicationis sententias in suis propriis ecclesiis et locis circumvicinis fulminandi ac illos qui pro eiusmodi causa excommunicationis sententiam incurrerint si eas cum effectu solverint absolvendi, quodque in nostris privilegiis et statutis contentas abbatibus et praelatis qui non fecerint nobis et ordini nostro obedientiam manualement ut tenentur infligendi et sententias quas propter hoc incurrerint ad tempus relaxandi seu cum eisdem dispensandi et eos autoritate nostra absolvendi. Volumus tamen et expresse iniungimur vobis quatenus duos praelatos seu praepositos praedictae circariae^{g)} Hungariae eligatis, qui

^{d)} «vestri» cop.

^{e)} «circharia» cop.

^{f)} Idem ac in nota ^{e)}

^{g)} Itidem.

consilium, auxilium et favorem praedicto visitatori nostro per vos electo impendant nihil que in eadem operetur absque consilio et consensu eorundem in gravibus et enormibus delictis volentes eos visitatores iudicium aliquod facere neque aliquid iurisdictionis exercere absque iurisperorum consilio primitus habito. Praeterea gratiam vobis volentes facere specialem annuentes supplicationi vestrae et petitioni illustrissimi regis Hungariae omnes tallias seu contributiones cessas et debitas usque ad praesens capitulum inclusive de gratia speciali remittimus dehinc usque ad quatuor annos proxime venturos excusantes vos omnes et singulos de comparendo ad nostrum generale capitulum hinc usque ad sex annos proviso tamen quod de sexennio in sexennium unum ex praepositis seu praelatis vestris qui tallias et contributiones praedictas adferat, si possibile sit, sin autem nuncium idoneum qui fidem super his faciet et certificarum de statu et regimine vestrorum subditorum adferret, mittere tenebimini volentes praedictas tallias seu contributiones super quodlibet monasteriorum dictae circariae^{b)} iuxta conscientiarum suarum devotionem pro defensione et subsidio ordinis ordinari necnon praepositos praedictae circariaeⁱ⁾ cogendi sub poenis et censuris quibus decet ad solvendum expensas factas huc veniendo per (praepositos)^{l)} de Thurocs et de Saag quas fecerunt pro legatione et attributa veniendi ad capitulum generale. Praeterea volumus et concedimus per praesentes quod praefati duo electi et assumpti cum consilio praedicti visitatoris possint praefici in abbates, qui gaudeant privilegio pari sicut et visitator prout superius continetur dantes insuper praedictis visitatori suisque duobus consociis auctoritatem et facultatem omnimodas ponendi sorores ordinis nostri in ecclesiis, ubi eis visum opus fuerit volentes etiam, ut dum ipse visitator ab humanis decesserit loco ipsius eligatis alterum, qui similem habeat potestatem et generaliter omnia alia et singula faciendi, disponendi et ordinandi, quae visitationis requirunt officium et quae ecclesiis seu monasteriis et eorundem personis utilia, oportuna et decentia fore noverit, illi quoad praemissa omnia et singula ac ex eisdem dependentia praesentium tenore concedimus facultatem ita tamen quod de praefatis talliis per dictum visitatorem receptis et recipiendis nobis et nostro generali capitulo legitimum computum reddere tenebitur volentes eundem visitatorem in omnibus illis et per omnia

^{b)} Itidem.

ⁱ⁾ Itidem.

^{l)} Post «per» sequitur in copia spatium vacuum in extensione circa decem litterarum. «praepositos» suppletum ex Valvekens, Acta et decreta, tom. II, p. 139.

anteferi et in cursu suae visitationis per quoscunque minime impediri, contradictores si qui fuerint per censuram ecclesiasticam et poenas nostri ordinis invocato ad hoc et in omnibus quibuscunque supradictis si opus fuerit brachii secularis auxilio. Datum in oppido sancti Quintini^{m)} in Viromandia Noviomensisⁿ⁾ dioecesis sub sigillo nostri generalis capituli anno salutis millesimo quingentesimo decimo mensis maii die decima sedente ibidem nostro generali capitulo.

II

1510 sept. 21. Nitriae.

Ins. in litteris Thomae archiepiscopi Strigoniensis de dato 1514 aug. 25. Budae datis, quae in alia littera eiusdem Thomae de eodem die et loco inserta est. Copia vidimata de dato 31. maii 1746 in archivio publico status Brno, ms. sign. E 57 A.H.5, fol. 4^v-6^v.

Wladislaus dei gratia Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. rex necnon S[il]lesiae et Lucemburgensis dux marchioque Moraviae et Lusatiae etc. ad futuram perpetuamque rei memoriam. Cum divinae gratiae inspiratione cuius instinctu cooperationeque miserorum mortalium cogitationes felicem et fructuosum salutarem optatumque et perenni tempore duraturum sortiuntur effectum inter alias nostras pro felici regnorum nostrorum et totius nostrae christianae reipublicae statu varias multiplices et undique circumfusas occupationes susceptas ad id animum nostrum revocassemus, ut etiam coenobia et monasteria fratrum religionum eorundemque professiones sanctae hoc inclytum regnum nostrum Hungariae et alia loca ad idem pertinentia inhabitantium in pristinum florentem deo optimo auctore statum reformarentur cultusque divinus quo ad eius fieri possit longeque augmentaretur propagereturque, hoc idem assidue et sine ulla intermissione etiam ipsis fratribus supplicantibus adfuit inter alios seque conspectui nostro obtulit ordo Praemonstratensis candidatus, vetus et insignis sanctorumque patrum et canonica sanctione confirmatus, cui nomen a praemonstratione divinae et incomparabilis virginis Mariae matris domini inditum est, qui splendore vitae et exemplo suo totum christianum orbem illustravit, incuria tamen et negligentia paulo anteacti seculi multorumque fragilitate parumper remissum agens ob idque non modica egens reformatione, supplicans

^{m)} «Quiritini» cop.

ⁿ⁾ «Novioviensis» cop.

nobis animo demisso humiliterque ac devote, ut patrocinio literarum nostrarum commendatitiarum eidem benigne gratioseque annueremus, quo aliquem ex ordine ipso ad hoc idoneum vita et moribus commendabilem ad Gallias mittere posset ad fundamentum et caput ipsius ordinis, qui archiabbas vocatur a quo et a generali ipsius ordinis capitulo pro perpetua salutarique ordinis reformatione aliqua capitula articulosque aliquos inde reportare posset, qui cum ex evidenti nostra annuentia matura praehabita deliberatione fidelem nostrum venerabilem et religiosum fratrem Urielem de Maytheni praepositum ecclesiae de Thurocs professum eiusdem ordinis delegissent exhincque tandem rediisset ad nostrumque conspectum una cum religioso et venerabili patre Francisco de Feghvernek praeposito ecclesiae de Saag similiter eiusdem ordinis professore ex communi consensu et pari omnium aliorum praepositorum et fratrum Praemonstratensium in regno hoc nostro Hungariae existentium voluntate accessissent, exhibuerunt nobis et produxerunt certas literas praefati archiabbatis et capituli simul generalis ordinis ipsius Praemonstratensis in oppido sancti Quintini^{a)} in Viromandia celebrati sub dato decimi diei mensis maii anno millesimo quingentesimo decimo emanatas, sigillo eorum authentico impendente munitas, certos articulos et capitula reformationem necessariam ordinis, vitae et conservationis eorum tangentes in se continentes priori devotionis et intimae affectionis zelo maiestati nostrae supplicantes, ut ipsas lit[t]eras et ea in eis contenta ratas, gratas et accepta habentes nostra regia autoritate lit[t]erisque nostris roborare et confirmare et notanter caput illud et sanctionem ipsorum, ubi emergentibus pro tempore legitimis vacantiis ecclesiarum et praepositarum eius ordinis huius ipsius regni de eligendis a solo ipso ordine praepositis agitur admittere et acceptare huiusmodique sanctione et constitutione ipsis fratribus et ordini perpetuo utendum et gaudendum annuere dignaremur. Nos igitur qui nostra hac aetate et vita nobis a deo optimo maximo in eum, ut aestimamus, potissimum finem data et concessa, ut sub ditione nostra quasque professiones ordinum in cultu et fervore divino aliquantisper tepentes in melius nostra in eo singulari ac salutari opera et studio adhibito quantum possumus reformemus huiusmodi cultum divinum adampliare in regnis et dominiis nostris in laudem dei et eius plebis christianae salutare exemplum volumus summoque zelo intendere cupimus volentes amplitudini simul et incremento deo famulantium non solum favere, sed pro nostra in religionem nostram sanctam

^{a)} «Quiritini», cop.

summa ac singulari devotione eos in largitis et concessis etiam conservare, accepta et admissa praemissa supplicatione ipsorum praepositorum et fratrum nobis ut praefertur por[r]ecta praescriptas li[t]teras et privilegium, cuius tenores praesentibus pro sufficienter expressis haberi et censi volumus, quoad omnes eius continentias, capitula, limitationes, ecclesias et articulos eatenus, quatenus viribus eorum veritas suffragatur sub conditionibus infrascriptis, ubi electionem praepositorum tangit, acceptandum et approbandum atque confirmandum duximus quod ordo ipse Premonstratensis huius regni et praepositi ac fratres eiusdem pari voto et una omnium ipsorum voce et consensu dum aliquam ecclesiarum suarum rectore et praeposito viduari et legitime vacare contigerit, per se praepositum eligendi quidem habeant facultatem, autoritas tamen nostra regia et ius patronatus nostrum, quod in ipsis ecclesiis quantum ad collationem habemus intactum illaesumque pro maiestate nostra et successoribus nostris reservetur et in loco suo maneat talisque electus per ipsos praepositos et fratres praefati ordinis a nobis aut successoribus nostris regibus Hungariae collationem suam post eius per praepositos praefatos electionem et praesentationem benedictionemque et confirmationem suam a dioecesano suo legitimo pro tempore constituto accipere et habere debeat, nemini tamen nos seu successores nostri reges Hungariae aut quicumque alii patroni eiusmodi praepositorum pro tempore vacantes conferre et dare valeamus aut ipsi patroni valeant nisi illi quem praepositi ipsi et ordo Praemonstratensis secundum eorum regulam, professionem et sanctiones canonice et legitime prius elegerint et pro pastore sufficienti idoneoque locupleti testimonio nobis, successoribus nostris et patronis ipsis praesentaverit et commendaverit eademque nostra et successorum nostrorum regum Hungariae autoritate praenominatis praepositis et fratribus ordinis Praemonstratensis annuimus et concedimus per praesentes, ut praepositos, quos insufficientes discolosque et ordinis ipsius ac patrimonii Christi dissipatores esse fereque cognoverint deponere praepositura privare aliumque sufficientem et idoneum loco talis inutilis deieci et depositi eligere et constituere possint. Praeterea de aliis patronis talium ecclesiarum ordinis Praemonstratensis, quorum maiores et progenitores sive ratione foundationis et dotationis talium praepositorum per eos salubriter factae sive ex annuentia et concessione duorum quondam regum nostrorum scilicet praedecessorum super collatione alicuius praepositorum Praemonstratensis ius patronatus habuerunt et ipsi sui heredes ad se devolutum nunc quoque habent sive quibus nos tempestate nostra eorum meritis et virtutibus ita exigentibus

ius patronatus nostrum pleno iure contulimus tali modo per omnia sicuti de nobis et successoribus nostris regibus Hungariae quantum ad collationem talium praepositarum et praepositorum sic electorum^{b)} intelligere volumus immo acceptamus approbamus et confirmamus praesentis scripti nostri patrocinio mediante. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam praesentes lit[t]eras nostras authenticas secreti sigilli nostri, quo ut rex Hungariae utimur, munimine roboratas eisdem praepositis et fratribus Praemonstratensibus praesentibus et futuris concedendas duximus. Datum in arce episcopali Nitriensi in festo beati Matthaei apostoli et evangelistae anno domini millesimo quingentesimo decimo regnorum nostrorum Hungariae etc. anno vigesimo primo, Bohemiae vero quadragesimo primo.

III

1514 aug. 25. Budae.

Ins. in litteris a Thoma archiepiscopo Strigoniensi eodem die et loco datis. Copia vidimata de dato 31. maii 1746 in archivio publico status Brno, ms. sign. E 57 A.H.5, fol. 1^r-7^v.

Thomas miseratione divina tituli^{a)} sancti Martini in Montibus sacrosanctae Romanae ecclesiae presbyter cardinalis, patriarcha Constantinopolitanus, ad Hungariae, Bohemiae, Poloniae, Datiae, Norvegiae, et Suetiae regna necnon Prussiam, Russiam, Livoniam, Lithvaniam, Valachiam, Silesiam, Lusatiam, Moraviam, Transylvaniam, Sclavoniam, Dalmatiam, Croatiam et Moscoviam omnesque et singulas regnorum et provinciarum praedictarum civitates, terras, insulas atque loca illis subiecta et alia eis adiacentia apostolicae sedis de latere legatus, ad perpetuam rei memoriam. Benignitas sedis apostolicae, cuius in hac parte officium gerimus consueta ea, quae per reges et principes invictissimos necnon abbates et alios quorumvis ordinum praesertim Praemonstratensis religiosas personas sub suavi et religionis iugo altissimo deo ac beatissimae dei genitrici^{b)} semperque virgini^{c)} Mariae eius matri^{d)} assidue devotissimeque famulantes pro singulorum monasteriorum aliorum-

^{b)} «electorum», cop.

^{a)} «titulo», cop.

^{b)} «genitricis», cop.

^{c)} «virginis», cop.

^{d)} «matris», cop.

que religiosorum et piorum locorum totius ordinis et religionis felicissimo statu, divini cultus augmento necnon iurium et privilegiorum monasteriorum, locorum ac ab eis membrorum dependentium praedictorum tuitione, conservatione et debita reformatione paceque et quiete provida maturaque deliberatione inter eos facta, ordinata, terminata et concessa demumque per eosdem reges et principes confirmata et approbata extiterunt, ut illa firma perpetuo et illibata remaneant libenter de novo confirmat at approbat eisque apostolicae sedis praedictae robur adiicit, prout id in domino conspicit salubriter expedire. Sane nobis nuper pro parte devotissimi in Christo ac sanctae Romanae ecclesiae et sedis apostolicae filii Wladislai moderni Hungariae regis ac dilectorum nobis in Christo Ioannis moderni etiam abbatis Praemonstratensis et totius capituli generalis dicti ordinis olim in oppido sancti Quintini^{e)} in Viromandia Noviomensis^{f)} dioecesis celebrati exhibita petitio continebat, quod alias a praefatis Ioanne abbate et capitulo generali eiusdem ordinis Praemonstratensis nonnullis arduis urgentissimis ac rationabilibus et legitimis causis totum ordinem ac monasteria, praeposituras et membra ab eodem ordine et generali monasterio dependentes expresse concernentes necnon pro felici statu, conservatione, reformatione ac evidentissima utilitate totius religionis, monasteriorum, praepositurarum et aliorum membrorum praedictorum in regno Hungariae et illius circaria [!] existentium nonnullae litterae eorum sigillo munitae et sigillatae cum certis ordinationibus, capitulis et statutis rite et legitime factis et editis emanarunt tenoris subsequentis: [*Sequitur tenor litterae Ioannis abbatis Praemonstratensis et capituli generalis eiusdem ordinis datae die 10. mensis maii anno 1510.*] Postmodum vero praefatus Vladislaus rex suadens praemissis necnon certis aliis iustis et rationabilibus ac legitimis causis, quas ipse rex in mente suae regiae maiestatis tunc gerebat ac pro honore, venustate, decore augmentoque divini cultus ac totius religionis et ordinis Praemonstratensis et illius circariae^{g)} ipsius Ioannis abbatis et generalis capituli praedictorum cum omnibus et singulis ecclesiis et capitulis in eis contentis per certas alias eiusdem regis li[t]teras suo magno sigillo regio ut moris est sigillatas et munitas, certis tamen aliis additionibus, conditionibus, statutis et ordinationibus iustis et etiam honestis eidem regi suisque impofterum successoribus eiusdem regni Hungariae reservatis confirmavit et approbavit. Quarum tenores

^{e)} «Quiritini», cop.

^{f)} «Novioviensis», cop.

^{g)} «circhariae», cop.

etiam de verbo ad verbum sequuntur et sunt tales: [*Sequitur tenor litterae regis Vladislai de dato 21. septembris 1510.*] Cum autem sicut eadem petitio subiungebat praefatus Vladislaus rex ac tam Ioannes modernus abbas et capitulum praefati quam etiam dilecti nobis in Christo Franciscus de Feghverneck praepositus de Saag ac Uriel de Maythen etiam praepositus de Thurocs eiusdem ordinis professores ac in partibus regni Hungariae pro ipso ordine pro^{b)} tam regias quam ipsorum abbatis et capituli praedictorum respective singulas literas praedictas ut praemittitur concessas ac omnia et singula in eis contenta cupiant et sumopere desiderent autoritate apostolica approbari et confirmari ac robur apostolicae sedis adiici. Quare pro parte tam Vladislai quam Ioannis abbatis et capituli necnon Urielis et Francisci praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut omnes et singulas tam regias quam abbatis et capituli praedictorum literas ac omnia et singula capitula, ordinationes, statuta in eis contenta autoritate apostolica approbare et confirmare ac robur apostolicae confirmationis adiacere aliasque in praemissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur praefatos Ioannem abbatem et capitulum necnon Franciscum et Urielem praefatos ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum presentium duntaxat consequendum harum serie absolvendos et absolutos fore censentes ipsius Vladislai regis ac abbatis et capituli praedictorum iustis et devotis supplicationibus inclinati omnes et singulas tam regias quam abbatis et capituli praedictorum literas praedictas per eos ut praefertur, concessas et ab eis emanatas omniaque et singula capitula, statuta, terminata et ordinata ac alia in eis contenta salvis tamen in praemissis omnibus et singulis nobis et imposterum successoribus nostris archiepiscopis Strigoniensibus pro tempore existentibus iure confirmandi necnon iuribus et iurisdictione archiepiscopalibus tam Strigoniensis quam aliorum ordinariorum semper reservatis, autoritate apostolica, qua per literas eiusdem sedis apostolicae sufficienti facultate muniti fungimur in hac parte tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus ac praesentis scripti patrocinio communimus dummodo abbas et capitulum generale ordinis praedicti a sede apostolica habeat autoritatem et facultatem supradicta omnia concedendi et statuendi et salvis semper iure et honore sedis apostolicae,

^{b)} Post «pro» sequitur spatium vacuum in extensione circa 7 litterarum.

quibus per hanc nostram confirmationem nullo modo praeiudicare intendimus et non aliter nec alio modo, non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis nec non statutis et consuetudinibus monasterii et ordinis praedictorum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Budae Vesprimiensis dioecesis anno incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quartodecimo octavo kalen. septembris pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Leonis divina providentia papae decimi anno secundo.

IV

1514 aug. 25. Budae.

Copia vidimata de dato 31. maii 1746 in archivo publico status Brno, ms. sign. E 57 A.H.5, fol. 1^r-8^r.

Thomas miseratione divina tituli^{a)} sancti Martini in Montibus sacrosanctae Romanae ecclesiae presbyter cardinalis Strigoniensis, patriarcha Constantinopolitanus, ad Hungariae, Bohemiae, Poloniae, Datiae, Suetiae et Norvegiae regna necnon Prussiam, Russiam, Livoniam, Lithvaniam, Valachiam, Silesiam, Lusatiam, Moraviam, Transylvaniam, Sclavoniam, Dalmatiam, Croatiam et Moscoviam omnesque et singulas regnorum et provinciarum civitates, terras, insulas atque loca illis subiecta et alia eis adiacentia, apostolicae sedis de latere legatus, reverendis in Christo patribus Sanctuariensi et Sebastensi ac Galipolensi episcopis necnon abbati monasterii sancti Martini Sacri Montis ordinis sancti Benedicti Iauriensis dioecesis salutem in domino sempiternam. Hodie emanarunt a nobis literae tenoris subsequentis: [*Sequitur tenor litterae eiusdem Thomae cardinalis de eadem die, id est 25. augusti 1514.*] Quocirca discretioni vestrae autoritate apostolica qua per literas, eiusdem sedis apostolicae sufficienti facultate muniti fungimur, in hac parte per praesentes mandamus, quatenus vos duo vel tres^{b)} aut unus vestrum si et postquam dictae literae vobis praesentatae fuerint, per vos vel alium seu alios eisdem Ioanni abbati et capitulo seu conventui eiusdem monasterii necnon monasteriis, ordini et praepositis et aliis membris eiusdem ordinis ac ab eodem generali monasterio dependenti-

^{a)} «titulo», cop.

^{b)} «vel duo tres», cop.

bus in regno Hungariae et illius circaria^{c)} existentibus in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciat^s autoritate apostolica praefata singulas literas praedictas omniaque et singula capitula, statuta et ordinata ac alia in eis contenta alias iuxta ipsarum nostrarum literarum continentiam et tenorem salva tamen apostolicae sedis praerogativa et sine eiusdem aut alterius praeiudicio inviolabiliter observari non permittentes eosdem Ioannem abbatem et conventum necnon Urielem et Franciscum ac eorum singulos per quoscunque cuiuscunque conditionis, status vel gradus extiterint super praemissis omnibus et singulis quomodolibet molestari, perturbari vel impediri contradictores autoritate apostolica praefata per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia ad hoc compescendo invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Non obstantibus omnibus supradictis aut si aliquibus, com[m]unit^r vel divisim a sede praedicta indultum existat, quod interdicti, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Budae Veszprimiensis dioecesis anno incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quartodecimo, octavo calend. septembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Leonis divina providentia papae decimi anno secundo.

Mazurská 519

181 00 Praha 8 - Troja

(Tchecoslovakia)

Dr. Karel DOLISTA

^{c)} «circharia», cop.